

De historia syphilidis : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Carolus Pauli ; opponentibus A. Liedhegener, O. Lange, I. Dietzer.

Contributors

Pauli, Carl, 1823-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Bonnae : Typis C. Krüger, 1856.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rbjkeh5w>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

11 1/2
H6.

DE HISTORIA SYPHILIDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ARTEQUE OBSTETRICIA

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. MENSIS APRILIS A. MDCCCLVI.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Pauli

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

- A. LIEDHEGENER, Cand. Med.
O. LANGE, Cand. Med.
I. DIETZER, Cand. Med.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLVI.

DE HISTORIA SYMPHONIAE

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

1784

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATULI MEDICORUM
ORDINIS ALMAE REGIAE UNIVERSITATIS

FRANCISCA GUILIELMUS MEXANA

Digitized by the Internet Archive
in 2016

Carolis Hall

0240181842

A. LEIBNER GULI
D. LANGE GULI
I. DIXER GULI

<https://archive.org/details/b22365114>

MANIBUS PATRIS.

MEMORANDUM

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

DE HISTORIA SYPHILIDIS.

Priusquam ad dissertationem indicatam accedam, haud alienum mihi videtur accuratius explicare, unde venerit, ut hunc, de quo agimus, contagiosum morbum syphilidem appellaverint.

Qua de re licet viri docti minime consentiant, cum alii in graeca lingua (*συν* et *Φιλια*), alii in hebraica vel arabica lingua radices huius verbi latere putent, tamen Fracastori, medici Italici, sententia maxime probanda est, qui in dissertatione quadam „de syphilde“ pastorem quendam Syphilidem commemorat, qui, quod soli maledixerat, a diis lue venerea affectus esse dicitur.

Cum quidem auctores valde inter se dissentiant, tamen negari non potest, affectionem quandam contagiosam saeculo decimo sexto primum syphilidem nominatam esse. Eundem morbum ob sedem, quem tenebat, illo tempore aliter quoque dictum esse, exempli gratia pudendagram, cum feminae, mentagram, cum viri eo laborarent, notum est, quo iam accedunt ea nomina, quibus viri sancti utebantur, ut: morbus Sancti Rochi, quod homines hoc morbo affecti hos viros implorare solebant, ut valetudinem bonam recupera-

rent, et quod hi viri sancti illis temporibus quasi remedia specifica aestimabantur.

Nihilominus multo clariorem huius morbi contagiosi cognitionem assecuti sunt, cum cognovissent, luis speciem eum prae se ferre. Lues venerea autem eo tempore nominabatur, quo in alios homines coitu exercito eum transplantari animadversum erat.

Praeterea haec lues ab omnibus fere populis aliter dicta est, quae res eam ob causam maximi momenti est, quod inde praecipue eius originem edocemur. Quum enim alii eam: Mal de Naples, Mal de France vocent, Orientales morbum Germanicum, Batavi Hispanicum, Germani Gallicum aut Hispanicum, Lusitani Castiliensem, Persae Turcicum, Angli pustulas Hispanicas, Chinenses ulcus de Canton appellant. Sed haud ita multo post morbus Gallicus, ut nos dicimus — Franzose — et deinde venereus appellabatur.

Quod attinet huius affectionis ad aetatem originemque praeter multas alias sententias hae praecipue dignae sunt, quae memorentur.

I. Hoc malum iam tam diu existere quam homines atque ultionem divinam esse dei que flagellum. Quare Torrella hunc morbum tentationem diaboli esse dixit.

II. Ex America hunc morbum ad nos venisse.

III. Iam diu eum exstitisse, sed inter Iudaeos tantum, quam originem Maranicam vocare solebant.

IV. Saeculo decimo quinto demum nonnulli eum apparuisse nec unquam antea adfuisse, censent, qui aut novam aegritudinem aut formam mutatam leprae eum esse volunt.

Affectionem syphiliticam iam tam diu existere quam homines eamque deos hominibus nefastis puniendi causa misisse, putant:

Widmann, Abrazar, Fabius, Zacutus Lusitanus,

Stephanus Blanchard. Huc etiam multi loci librorum illis temporibus scriptorum referendi sunt, qui hanc sententiam comprobant nec Michaelis iocatur, qui luem veneream morbum esse dicit, qui mille annis praeterlapsis exoriatur, lenior fiat et deinde evanescat. Itaque hoc malum Mosis et Hiobi temporibus exstitisse, Hippocratis vero minime notum fuisse, putat. Iosephus Grünbeck, qui ipse hoc morbo affectus erat, de se ipse dicit: Me ex improvise inter ambulandum Augustensi in agro adorta est (coniunctio planetarum) et primam venenosam sagittam in glandem priapi defixit, quae ex vulnere tumefacta utraque manu vix comprehendi potuisset.

Atque Widmann quoque hanc luem Saturni radiis effici putat, sed iam Paracelsus laconice quasi dicit: non debetur astris.

Iam diu notum erat, morbum venereum esse contagiosum, neque deerant, qui eum aere atque aegrotorum exspirationibus ac respiratione transferri putarent. Hoc modo Widmann saevitas, inquit, huius passionis et detestatio eius maxima est, ita ut homines a civili conversatione separentur, saltem quoad curati sint. Atque Parisius: Pauperes hoc malo laborantes expellebantur ab hominum conversatione, tamquam purulentum cadaver, derelicti a medicis.

Alii, qui syphilidis originem ex temporibus antiquissimis deducunt, dolores nocturnos, quibus Davidus, Iudaeorum rex, vexabatur, ex hoc morbo ortos esse affirmant et ut eorum sententia in maiore fide versetur, locos bibliae sacrae libri tertii Mosis, capituli 15 citant, in quibus de urethrae blennorrhoea disseritur atque blennorrhoeam profetae Samuelis et Hiobi in libro secundo descriptam afferunt.

Nihilominus haec nihil demonstrant, cum illae affectio-

nes, quas supra diximus, etiam alteram naturam quam veneream habuisse possint neque vero eo aliquid demonstratur, quod Guilelmus de Saliceto, qui Placentiae vixit, atque anno MCCLXXX mortuus est, bubonem, quem Dracunculum vocabat, e penis affectione exortum esse putat „et fit etiam, quum homo infirmatur in virga propter foedam meretricem“, vel quod Lanfranc, Saliceti discipulus, qui in libro de arte completa totius chirurgiae inscripto abscessuum in regione inguinali mentionem fecit, qui ex ulceribus in membro virili concubitu impuro exorti erant. Ulcera, inquit, veniunt ex pustulis calidis virgae supervenientibus, quae postea crepantur ex commixtione cum foeda muliere, quae cum aegro talem habente morbum, de novo coierat.

Neque id alicuius momenti est, quod Valesco distincte dicit: Coitus cum foetida vel immunda vel cancrosa muliere atque in Petri de Argelata libro de chirurgia caput quoddam exstat inscriptum: De pustulis, quae adveniunt virgae propter conversationem cum foeda muliere.

Inter auctores, qui Americam patriam huius mali contagiosi designant, memorandi sunt hi: Schmaus, I. Crato, I. Fernelius, Lowe, Hoffmann, Astruc, Roberston, van Swieten, Girtanner.

Quam quidem sententiam falsissimam esse iam eo apparet, quod Columbus sociorum valetudinem, per quos ista aegritudo ad nos venisse fertur, integerrimam descripsit.

Quin etiam Heister et Astruc *) eo progressi sunt, ut diem, quo Columbus Europam assecutus est, fatalem fuisse dixerint atque Astruc hanc aegritudinem ex acrimonia quadam mensium, cuius feminae Italiae inferioris Americaeque praeditae sunt, exstitisse putat, quod a Girtanner **)

*) L. Astruc, de morbis venereis libri novem. Par. 1736.

**) C. Girtanner, Abh. üb. die venersch. Krankheiten. Göttingen 1788.

refellitur, qui hoc malum ex ictu insectarum quarundam egressam esse dicit. Cum enim Americanae feminae viros Europae vidissent, tantam cupiditatem coeundi in iis incensam esse, ut coniugibus, qui saepius coitum exercere nolebant, non solum aphrodisiaca dedissent, ut libidinosi fierent, sed etiam inter somnum insectas quasdam venosas ad eorum membra apposuisent, quo factum esset, ut turgescere ea incepissent atque ita amandi studium incitatum esset.

Praeterea negari non potest iam antea multis Italiae locis hunc morbum emersisse.

Maiorem vero quam, quos supra attulimus, libri lucem praebet de syphilidis origine opus „de pudendagra“ a Casparo Forella scriptum, qui dicit: Incepit haec maligna aegritudo anno 1493 in Albano et I. Baptistus Fulgasius, cum disserit: Antequam Carolus octavus, Galliae rex, qui imperii Neapolitani cupidus et cum exercitu ingenti in Italiam profectus non multo post Neapolin penetravit, advenit, nova aegritudo inter mortales detecta, cui nec nomen nec remedia medici etc.

Atque Oviedo quoque claris verbis syphilidem novum morbum esse dicit, quapropter medicis ignotus sit. Eodem modo alius huius aetatis scriptor, Lopez de Gomara hunc morbum novum atque inde plane insanabilem vocat. Paul. Jovius in libro, quem de sui ipsius temporis historia conscripsit (a. 1548) hunc morbum inauditum prioribus saeculis atque Guicciardini in „Italiae Historia“ eum novum atque usque ad suam aetatem in Italia ignotum esse dicit.

Neque id ommitti debet, omnes illius temporis medicos in hac re consentire, neque uni eorum in mentem venire, de hac lue ut de noto morbo loqui.

Alexander Benedictus 1495: Morbus gallicus, nova mundi pestis, medicis ignotus prioribus. Iosephus Grünbeck

1496: Insuper novum genus morbi, natura invisum. Hunc morbum pestilentiam scortae vocat.

Ioannes Widmann in epistola ad Ioannem Nell 1497: Nostris etiam temporibus, foedus morbus invasit mortales, vocat eum: Mal de Franzos.

Barth. Steber 1497: Morbo huic aetati nostrae inaudito, nomen ei imposuit: Mala Franzos. Eodem modo huius morbi mentio facta est in praeclaro illo decreto consilii publici Parisini a. millesimi quadringentesimi nonagesimi sexti nec non apud Sebastianum Brant 1496. Coradinum Gellini 1497. Petrum Pinctor 1497, qui eum ignotum morbum atque tertiam speciem variolarum vocat, deinde apud Antonium Benevene 1502, Coccium Sabellicum 1502, Cattaneum 1505, cardinalem Bembonem 1513, Leonem Africanum, Ioannem de Vigo, alios.

Ab Henseler*) et Gruner**) affectio venerea circiter exeuntem annum millesimum trecentessimum a Maranis expulsis deducitur.

Cum autem aliis quoque locis, quo Marani non confugerant, hic morbus emergerit, illis viris minime fides habenda est.

Syphilidem anno exeunte millesimo quinto apparuisse affirmant Helmont, Zacutus Lusitanus aliique viri docti nixi scriptis auctorum veterum, qui sine ullo dubio eius originem aetati nostrae multo appropinquant. Alii viri docti exempli causa Wendelin, Bichat, Lichtenberg ultimorum saeculorum eum morbum esse putant, quae sententia eo non satis probari potest, quod hanc aegritudinem non contagiosam esse, sed ex aliis caussis ut ex anni temporibus calidissimis ortam esse putant.

*) P. G. Hensler, Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des 15. Jahrhunderts in Europa ausbrach. 2 Bde. Altona 1794.

**) C. G. Gruner, Aphrodisiacus s. de lue venerea. Jena 1789.

Neque vero desunt, qui syphilidem lepram degeneratam esse putarent, quam sententiam etiam Theophrastus Paracelsus ea de causa sequitur, quod syphilide exorta lepra evanuit. In Gallia enim, quamquam tum maiorem circuitum tenebat quam hodie, exeunte anno decimo quinto viginti millia domiciliorum fuerunt, in quibus aegroti lepra laborantes curabantur, contra anno millesimo quingentesimo vicesimo sexto lepra ita evanuerat, ut illa nosocomia in alium usum adhiberi possent.

Quamquam hoc morbi genus cum lepra maximam similitudinem habet, tamen satis certum est, minime lepram fuisse. Denique ne quidquam ommisise videar addam, Sydenham originem Africanicam suspicari et per servos (Neger-Sclaven) in Europam morbum latum esse putare.

Neque ommittam mentionem facere multorum aliorum virorum, qui aestimant, eo hoc malum ad homines venisse, quod hominum carne fructi essent, neque aliorum, qui narrant, inter uxores lepra vexatas meretricem fuisse ulcere maligno in utero praeditam, quae morbum venereum ita provocasset.

Cum autem ante annum millesimum centesimum quartum a nullo auctore huius affectionis contagiosae mentio facta sit, cum Widmann et Torella demum de eo loquantur, cum omnes res Italiam inferiorem cunas designent, syphilidem ex certis quibusdam caussis exortam et novum morbum esse satis certe affirmari potest.

Multi quoque auctores inveniuntur, qui memoriae luem veneriam tradiderunt, quae in Europae urbibus maxime autem Parisiis, Berolini, Mediolani eodem tempore neque minus vehementer anno 1493 apparuit, in Polonia vero atque in Silesia exorta est anno 1493 atque primum quidem inter diaconos ordinis inferioris. Hic morbus Malzei

vel scabies Gallica vel Hispanica tunc temporis nominabatur.*)

Caussae autem, quae hunc morbum, qui antea sporadicus fuerat, epidemicum reddiderunt, secundum clarissimum Schoenlein hae sunt:

- 1) Confluxus multarum gentium.
- 2) Bellum maximo ardore illo tempore gestum et eodem tempore typhus petechialis in Italia inferiore exortus.
- 3) Magna diluvia.

Dubitari non potest, quin Syphilis tum aliter conformata fuerit quam hodie, quam ob rem Astruc septem periodos enumerat, Schoenlein vero has duas tantum formas novit.

I. Ab anno 1492 — 1530.

Syphilis in forma exanthematis apparuit et contagio volatili rapidoque decursu excelluit.

II. Ab anno 1540 usque ad aetatem nostram.

Eo tempore gonorrhoeam exstitisse memorabile est dictu. Etiam Fracastori**) suo iure dicit: blennorrhoea syphilitica exorta remissionem huius perniciosi morbi secutam exanthemaque magis fixum factum esse et quod antea non solebat, tum contactu tantum infici potuisse. Quamobrem primaria lues gonorrhoea nominanda est, secundaria autem ulcera in collo, in maribus etc. genuit.

Mors Francisci primi, Galliae regis, et Bertholdi (de Moguntia) et Friderici cardinalis, cuius caussa in isto morbo invenitur, satis testatur, quantopere haec lues, cum primum appareret, furiaverit, quantoque ardore totas orbis terrarum terras devastaverit. Etiam imperator Carolus V et papa

*) Möhsen's Geschichte der Wissenschaft in der Mark Brandenburg. 1781.

**) Fracastori, Syphilis, (sive morbus gallicus, carmen, libri III. Veron. 1530.

Alexander sextus hac aegritudine valde vexabantur et Ulricus de Hutten *) de se ipse narrat: sese, quamvis sexies salivationem ex usu hydrargyri habuisset, sanari non potuisse, quod sibi tandem usu interno ligni Guajaci contigerit. Attamen nobis causae non satis notae sunt, cur haec lues nunc minus vehementem decursum faciat quam illis temporibus. Ut hanc rem declarem, eo facto nitor, multos morbos exempli gratia pestem, pustulas malignas nigras aut plane evanuisse aut multo leniores et benigniores factos esse.

Fortasse vivendi ratio scientiis moribusque correcta curaque multum attulerint, ne hodie hoc contagium progrediatur.

Nihilominus occasione data haec lues hominum corporibus maximas et miserrimas perturbationes parare potest.

Huc accedit, ut ipsa nostra aetate syphilis non satis saepe cognoscatur aut cum aliis malis commutetur, ut: cum herpe praeputiali vel cum excoriationibus ipsis glandis penis et praeputii, cum, ut omnes sciunt, diagnosis ulceris syphilitici in partibus genitalibus et in aliis locis ipsis corporis persaepe difficillima sit, imprimis si momenta anamnetica desunt.

Auctores sententiae meae prolatae clarissimum Blandin cito Mercurialemque, qui dicit: Cum videretis morbum quempiam communibus remediis non curari, putate esse morbum Gallicum cognominatum.

Torella quidem hoc morbo laborantes facile curari putat atque dicit: sese rarissime recidiva vidisse, attamen syphilidem „crudelissimum et horrendum morbum“ vocat.

Etiam Ioannes Naclerus hunc inauditum et ignotum morbum paucis tantum hominibus mortem parare dicit atque.

*) U. v. Hutten, Lib. de guajaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519.

Iovius memoriae tradidit: Aliqui tamen ex argento vivo axungia permisto triduana inunctione convaluerunt.

Quare certe affirmare possumus, affectionem veneream non tanta damna corporibus paravisse, quanta autores recentiores esse putant atque Fallopius: In Hispania, inquit, mitis est morbus et instar scabiei, sed ad nostrum veniens orbem ita ferus, ita immitis factus, ut caput, oculos, nasum, palatum, cutim, carnem, ossa, ligamenta, viscera tandem omnia infestet, inficiat, corrumpat.

Attamen incertum est, num syphilis, cum appareret, vehementiorem decursum fecerit quam hodie, cum ob huius mali incognitionem et medicorum ignorantiam, de qua Caspar Torella ita disserit: „Literatos ab hac cura fugisse, in hoc morbo se nihil scire confitendo“ hoc malum multo crudelius esse putaretur quam re vera erat.

De morborum venereorum natura omnes sententias hoc loco enumerare fieri non potest, attamen afferam, plerosque et optimos medicos naturam huius affectionis in dyscrasia quadam sanguinis posuisse et iam Alexander Benedictus, medicus Veronae, ex partibus genitalibus uxorum perversa mixtione succorum secretorum natum liquorem — Tincturam veneream — cui Fernelius nomen luis venereae sive viri venerei dedit, contagium habendum esse dicit. Inde autem, quod syphilis sine dubio contagiosa est, facile colligi potest, medio aevo eam esse exortam. Legimus quidem apud Graecos, Romanos, Arabes lepram exstitisse, morbum autem, qui in alias terras sese propagaverit non invenimus. Ad eorum autem virorum, sive medici fuerunt, qui post Columbum vixerunt, scripta transeuntes, morbum reperimus, qui quidem, ut antiquiores huius generis morbi coitu transferuntur, sed alio et modo antea prorsus ingnoto sese propagaret.

Widmann enim mirabilem eius contagionem ac pro-

gressum rapidum hisce verbis describit: „Summopere tamen cavendum, ne coitus fiat cum muliere pustulata, immo neque cum sana, cum qua prius brevi temporis spatio concubuit vir pustulatus, propter evitare contagionis periculum. Iam enim cognitum est experientia, ut subsequens post pustulatum recenter inficitur.“

Similia apud Sebastianum Aquilianum reperimus atque omnes illius aetatis scriptores maxime contagiosum esse hunc morbum dicunt, contactu atque imprimis coitu, quam contagionis vim nullus morbus antea praebuerat.

Maxima illa celeritas, qua hic morbus in fine saeculi XV. sese propagabat, novitasque, qua omnibus et medicis et aliis stuporem iniiciebat, nec non id, quod medici sibi persuaderant, hunc morbum sanare non posse aperte declarabant, hunc morbum, cum Columbi aetate existebat, prorsus novum fuisse. Atque confidentes quodammodo affirmari potest apud Graecos et Romanos morbos venereos nondum notos fuisse, quamquam non solum sanguinem menstruaem, sed etiam sanguinem in defloratione hymine deleto sese effundentem atque ipsam quoque deflorationem impuram esse putabant. Eodem modo de coitu cum viduis cogitabant, cum putarent, apud eas sanguinis menstrualis magnam copiam adesse eamque primo coitu se effundentem viro detrimento fore. Itaque peregrinis deflorationis officium mandabatur. Sed non multo post id tantum dedecori esse putabatur, sponso deflorationem praebere atque sponsae convivis ad nuptias invitatis primum pignus amoris dedicabant. Sine dubio autem ulcera partium genitalium hoc modo exorta benigna fuerunt, quorum origo ex ea re deducitur, quod in puellarum defloratione ob vaginae angustias genitalia virilia laesionibus noxiis exponebantur. Atque in veterum scriptis et in Graecia et Romae morem fuisse reperimus: irrumare i. e. penem in os arrigere, fellare i. e. vel labris, vel lingua perfricandi atque

exsugendi officium peni praestare, quod Graeci etiam *λεσβιάζειν* nominabant, quod huic vitio imprimis Lesbiae feminae deditae erant atque inde maligna ulcera faucium exstiterunt. Aliam causam, qua faucium affectiones provocarentur, cunnilingendi morem fuisse auctores veteres tradunt, quod vitium mox sequi solebant haec symptomata: Faciei color pallidus, foetor ex ore, linguae paralysis, ulcera in lingua ceterisque oris partibus — Syrii tumores. —

Etiam mentagram, de qua Plinius disserit, cunnilingendi more effectam esse putant. Symptomata similia ex Sidonia progrediebantur, cui scandalo praecipue uxores Romanae indulgebant, quem ad finem asino uti visae sunt, qui ideo infamatus erat.

Etiam nimia profusio seminis (*γονορροία*) a Galeno descripta sine ullo dubio non est urethrae blennorrhoea, sed spermatorrhoea.

Attamen multi loci in veterum scriptis inveniuntur, qui clare demonstrant, iam tum urethrae blennorrhoea et viros et feminas laborasse et distincte Galenus: hanc affectionem coitu prognerari dicit et Aretaeus docet: fluorem album — *ρόυς γυναικαῖος* — signis certis a gonorrhoea differere. Neque ommitti debet: Hippocratem iam de ulceribus vulvae agere. Celsus phimosin describit simplicia phagedaenica et gangraenosa ulcera glandis et praeputii, sed non dicit: haec ulcera contagiosa esse aut symptomata secundaria adducere posse. Etiam Galenus de penis et vulvae ulceribus agit. Hippocratis, Celsi et Galeni scriptis edocemur, veteres parvarum glandularum urethrae inflammationem in suppurationem transeuntem observasse, quae saepe cicatrizatione facta urethrae stenocheriam relinquebat. Atque Galenus bubonum mentionem facit, quorum originem ex succorum mixtione perversa deducit. Etiam Hippocrates bubonum causam, si feminae vexarentur, mensium cessatio-

nem esse atque eorum maximam partem ex hepatis affectione proficisci putabat. Plerique autem auctores in eo consentiunt: praeter alias causas etiam ulcera progredi, quamvis nullus distincte de ulceribus partium genitalium agat. Atque Celsus: „Tubercula quoque, inquit, quae *φύματα* Graeci vocant circa glandem oriuntur, quae vel medicamentis vel ferro aduruntur; et cum cristae exciderunt squama aeris inspergitur, ne quid ibi rursus increseat.“ Galenus tubercula vaginae describit et Aetius „pustulas spontaneas in pudendis,“ quae phimosin gignunt.

Nec non in numero formarum exanthematicarum condylomata habenda sunt, quae a Graecis, si in partibus genitalibus et in aliis corporis locis erant, *σῦχος*, *συκώσις*, *σύκωμα*, *συκώδης ὄγκος*, a Romanis ficus appellata sunt, eandem affectionem vero ad anum sedem habentem condyloma κατ' ἐξοχήν, ut ita dicam, nominabant.

Σῦχος vel ficus secundum Galenum exulcerans est, liquorem secernens tuberculum et secundum Oribasium plerumque in locis crinibus obiectis adesse solet, ut: in capite, ad mentum, ad anum et ad partes genitales. Attamen saepissime in feminarum partibus genitalibus exstitisse videntur.

Aspasia: Condyloma, inquit, est rugosa eminentia. Rugae enim circa os uteri existentes dum inflammantur, attolluntur et indurantur, tumoremque ac crassitudinem quandam in locis efficiunt.

Perniciosior morbus est *μυρμήκια* vel formica, quae, ut Celsus affirmat, radices altiores habet, maiores dolores efficit, in basi lata et in cacumine tenuis est. Si tangitur, ab aegrotis in his excrescentiis fomicatio sentitur. Aetius claris verbis: has affectiones ad anum et in partibus genitalibus mulieribus apparere solere dicit, quo loco ipse in coniuge eas se vidisse fatetur, quam fumigatione tridua origano liberavit.

Ulcera autem partium genitalium, quibus feminae affectae erant, iis viris, qui cum his coitum exercuerant, incommodum attulisse, Cedreni dicta demonstrant. Cum enim Diocletiano imperatore bella et casta virgo accusata, quod Diis maledixisset, in lupanarium mitteretur, iussa, cauponi quotidie tres denarios dare, omnes eos, qui venerunt, removit, dicens: sese in loco secreto ulcus habere, cuius sanationem eos expectare iussit. Eandem historiam Palladius narravit, qui adiecit: hoc Corinthii factum esse et ulcus foetidum fuisse, quod venientibus facile odium virginis genere potuisset. Eo autem, quod virgo parvum tantum temporis spatium — *ὀλίγας ἡμέρας* — rogabat, edocemur, quam facile haec ulcera sanari potuerint.

Lanfranc et Saliceto primi ulcerum et pustularum in glande „post coitum cum foeda muliere“ mentionem fecerunt et deinde Gordon, Guy de Chauliac, Arnauld de Villeneuve ulcerum ortorum „propter coitum cum muliere foeda.“

Saeculo decimo quinto et sexto, cum syphilis valde saeviret, ulcera contagiosa partium genitalium, symptoma luis venereae, in diversissimas partes descripta sunt,

Fallopia bonam descriptionem ulcerum venereorum memoriae tradidit, in qua tria genera proposuit. Verba autem haec sunt: „Signa cariei benignae — cariem benignam vocat ulcus simplex venereum, malignam autem edens, gangraenosum, cancrosum — sunt: primum enim suboriuntur pustulae quaedam parvae et candidae, quae quidem non excedunt crassitiem unius grani panici minimi; pustulae rumpunt, his ruptis, remanet ulcusculum rotundum, in medio habens punctum candidum, penetrans aliquantulum simplex vel duplicatum; aliquando tota corona glandis inficitur huiusmodi ulceribus; quandoque simul copulantur et ex duobus vel tribus vel quatuor unum fit, ita ut sit veluti linea cingens et coronans glandem; ista est sine dolore,

levis et moderatus pruritus; facillime cedit medicamento. Secunda species saevior est, et ista est genus quoddam ulceris rotundi, sed in medio non adest punctum album; adest livor in ulcere, et labra leniter attolluntur purpureo colore infecta; aliquantisper profundum est hoc ulcus. Ultimo in loco est pessimum et valde malignum ulcus, non rotundum, sed varia figura figuratum, ac variis depictum coloribus, livido, purpureo etc.; callosa habet labra, serpit saevissime, et aliquando nomam conjuctam habet, hoc est putredinem.

Dioskorides medicamenta quaedam commendat in ulcerationibus partium genitalium adhibenda et Actuarius, infimae aetatis auctor, de bubonibus, de thymis vel vegetationibus, de ficis vel condylomatibus disserit atque Aëtius thymos in partibus genitalibus et rhagades et ulcera putrida praeputii vulvaeque commemorat.

Simili modo hic morbus ab Oribasio, Paulo Aegineta et Nicolao Myrepto tractatus est. Quo syphilis ab aliis hujus generis morbis maxime differat, in Historia Lausiaca Palladii episcopi reperimus. Plinius II de viro quodam narrat, qui, cum saluti suae desperaret, cum conjuge in lacum Laricum sese praecipitaverat, quod ulceribus putridis et insanabilibus partium genitalium laborabant

Alii scriptores, ut Catullus, Martial, Scribonius Largus, Lucius Apulejus de variis malis organorum genitalium agunt, quae sine ulla dubitatione hodie in numero morborum venereorum ponimus. Denique multum de organorum genitalium morbis ab Arabibus scriptum est.

Buhahylyha Bengezla, qui saeculo octavo vixit et Caroli Magni medicus fuit, scripsit „de morbis veretri“ et disseruit de pustulis et ulceribus membri virilis. Praeterea hoc loco enumerandi sunt: Mesue, Serapion, Rhazes, Avicenna, Abenzohar, Averrves, Albucasis.

Ad sententiam medicorum quod attinet, qui hodie vivunt, plerique eorum singulas venereorum morborum species in contagio specifico fixo sitas esse putant, quod contagium nonnulli in utraque primaria cutis forma et in ulceribus syphiliticis et urethrae blennorrhoea specifica idem esse dicunt, alii autem morborum syphiliticorum causam irritationem esse volunt, quae ex quibuscunque causis progredi possit. Hanc vero irritationem specificam esse, cuius singulare non solum eo demonstrari possit, quod, ut fere semper fiat, primum in partibus genitalibus appareat, inoculationes pure venereo institutae satis distincte edocent. Cum irritatio sine effectu puris specifici in quibuscunque partibus corporis nostri provocata affectionis venereae cuiusdam formam distinctam nunquam gignere possit. Quamquam in urethrae blennorrhoea specifica aliter res sese habet, tamen in multis casibus contagium specificum adesse negari non potest et etiamsi persaepe sine contagio quavis urethram irritante causa nasci possit, inter utrumque contagium magnum discrimen exstat. Quae natura huic viro venereo insit, etiam adhuc incertum est. Nam definitio ipsa, quam Donné proposuit, sumpta ex pathogenia animata parvam aut nullam lucem praebet atque sententiae microscopicis experimentis paratae non consentiunt. Hoc contagium, ut etiam res in aliis venenis se habet, ex eius effectu tantum cognoscimus neque arte chemica ut multa alia venena erui potest. Nihil refert, quod nomen causae, quae hunc morbum provocat, attribuamus, id tantum certum habemus, contagio specifico fixo progigni, quod in alios homines transplantatum semper eundem morbum procreet. Virus autem venereum ipsum maiorem aut minorem effectum habere verisimile non est, tamen hoc pus ex ulcere sumptum, cuius possessor praeterea succis perversis laborat aliasque dyscrasiae causas in se fert, certe ulcera maligniora crea-

bit, quam si aegrotus, a quo materies sumebatur ab omnibus his malis liber est, sicut ulcus, si pus sumptum ex ulcere venereo simplici hominis, qui aliis morbis non vexatur, et inoculatum in hominem dyscrasia quadam exempli causa serophulosa vel arthritica praeditum multo maligniora symptomata habebit. Nonnulli medici, inter quos maxime Carmichael et Iudd nominandi sunt, diversa venena venerea proponere ausi sunt, quae sententia probari non potest, quia uno et eodem ulcere homines infectos diversissimas ulcerum syphiliticorum formas accepisse experientia docuit.

Praeter supra dicta ad haec ulcera formanda afferunt: aegrotorum aetas, vivendi modus, aër, ulceris sedes, alia. Ricord complurium harum rerum, quae ulcerum venereorum varietatem progenerant, mentionem facit atque dicit: alimento deperdito, inopia, irregulari vivendi ratione, incitamenti externis ulcus syphiliticum simplex cum forma diphtheritica complicari posse, homines iuveniles sanguine abundantes, qui corpus labore valde fatigent, aut Baccho indulgeant et simul omni aëris temperaturae sese exponant aut subito vivendi modum et aërem mutent, periculum subire, ulcus syphiliticum, quo laborent, gangraenoso-phagedaenicum fieri. Ad aërem quod attinet observatum est, has infectiones, quae in aliis longinquis terris parentur, symptomata perniciosiora adducere solere. (Desruelles.)

Quin etiam Calderini eo progressus est, ut affirmaret, feminas rusticas circa Mediolanum habitantes ab urbanis moribus depravatis infectas malignioribus symptomatibus vexari quam a viris rusticis maculatas.

Multum dimicatum est, num praedispositio syphilitica vel Syphilismus-Auzias-Turenne- adsit. Plerique medici suo iure hanc sententiam probant. Secundum eos sunt:

I. Dispositio localis adesse dicitur, si infectio exorta est quadam constructione partium genitalium.

II. Dispositio, quae in aliis externis rebus sita est.

III. Dispositio, quae in quibusdam causis organismi nostri originem habet.

Quod attinet ad dispositionem localem satis observatum est virus syphiliticum magis praeputium quam peni, facillime autem frenulo adhaerere.

Ad dispositionem definiendam, quae in aliis externis rebus sita est, diathesis quaedam phlogistica sanguinis proposita est, quod ad iuvenes syphilis magis transire solet.

Restat syphilidis classificationem, quam medici hodie novunt, hoc loco enumerare.

I. Ulcus syphiliticum primarium.

Ulcus venereum ex contagione directa materiae virulentae egressum est, quod virus hoc ulcus prognerat et transplantat ab aegroto individuo ad sanum sicut etiam hoc contagium inoculatione vel ab individuo ad alium transferri potest.

II. Affectiones venereae secundariae sive constitutionales.

Virus quasi modo ignoto commutatum constitutionem syphiliticam genuit. Morbi, qui ex hac dyscrasia oriri possunt, sunt imprimis et cutis et tunicarum mucosarum et oculorum et testiculorum affectiones, attamen hi morbi fere nunquam prius apparent quam post dies quindecim, cum ulcus primum exstitisset.

II. Affectiones tertiariae, quae in temporis spatiis non terminatis, plerumque autem multo post sanationem ulceris contagiosaevadunt. Hae affectiones vero oriri solent, si iam antea luis venereae symptomata adfuerunt vel adhuc adsunt. Huc hi morbi referendi sunt: Nodi, tubercula, quae sedem profundam in corpore nostro habent, telae cellulosaetubercula, periostoses, exostoses, caries, necrosis, cerebri tubercula multaeque aliae affectiones, quae hodie nondum satis notae sunt.

Addam iam eos morbos, quibus blennorrhagiae typus suppositus est et qui neque constitutionem depravant neque hereditate transferuntur neque inoculatione nec in cute nec in membranis mucosis transplantantur. Infici quidem possunt, sed modo tantum omnium rerum irritantium et simplicem tantum catarrhalem - phlegmonosam inflammationem provocare solent. Stadia autem et genera huius inflammationis ab omnibus cognoscuntur.

Gonorrhoeae sedes est in viris urethra, quamquam interdum in superficie interna praeputii et in superficie glandis blennorrhoea animadvertitur. Etsi glandem penis solam sedem huius affectionis fuisse evenit, tamen Hunter jure suo affirmat: gonorrhoeam plerumque non solum in urethrae orificio, sed etiam in eius toto canale domicilium habere. In uxoribus autem gonorrhoea vaginam, partem parva sensibilitate praeditam, occupat. Quamdiu malum in hoc organo sedet, virorum balanitidi simile et leve est, attamen plerumque ita serpit, ut latus internum labiorum pudendorum, clitoridem, carunculas myrti formes, orificium, totum canalem urethrae hoc morbo afficiat.

Ut pensum meum plane absolvam, in lucem etiam illam quaestionem proferam, num syphilis hereditate transferri possit necne. Sine dubio diathesis venerea a parentibus ad liberos transplantatur. (Desrueilles.)

Attamen affectiones syphiliticae verae nec a patre nec a matre generatione nunquam, quaedam autem vel maior vel minor dispositio syphilitica fere semper ad infantes transferuntur nec necesse est, ut pater vel mater in coitus momento malo venereo laboret. Si autem in matris genitalibus eo tempore, quo infans per ea migrat, morbi venerei sunt, caussa infectionis infanti data est, imprimis dispositione hereditate parata.

Praeterea commemoratu dignum est, syphilidem omnia corporis humani organa devastare posse. Quin etiam Behrend*) phthisin pulmonum syphiliticam enumerat atque Swediaur ulcera venerea in pulmonibus exoriri posse affirmat, qui ipse ex Brambillae dissertatione exemplum citat, quo docetur, a phthisico ex errore in loco electuarii praescripti dosi magna unguenti Neapolitani sumpta et ita valetudine bona recuperata, quamvis medicus minime de causa venerea morbi cogitasset, pulmones etiam ita affici posse. Atque loco supra citato Behrend de ulceribus syphiliticis agit, quae in trachea et bronchiorum maioribus ramificationibus observavit. Neque minus Martell Frank**) cerebri tubercula novit, quae ex syphilide originem deducunt, sicut quasdam affectiones internas ex eadem causa natas, cum dicat: „In die Reihe der tertiären Zufälle hat man zu stellen: den Nodus, die tiefen Tuberkeln, die Tuberkeln des Zellgewebes, die Periostosen, die Exostosen, die Caries, die Nekrosen, die syphilitischen Tüberkeln des Gehirns, manche innere Affectionen, die bisher noch unvollkommen dargestellt sind.“

Simili modo supra dicta probantur, cum Ricord***) viri cuiusdam mortem commemorat, cuius causam comprehendere non potuit. Sectione autem instituta, non solum magnam urethrae partem exulceratam invenit, sed etiam in vesica urinaria ipsa compluria ulcera rotunda quae omnia signa ulterationis syphiliticae prae se ferebant; tunicam mucosam penetraverant, in vesicae superficie externa videri potuerunt. In vesiculis seminalibus lateris sinistri abscessus magnus erat et in ductu eiaculatorio et in vase defe-

*) Dr. Behrend's Vorlesungen über practische Arzneiwissenschaft herausgegeben von Carl Sundelin. Berlin 1829. Siebenter Band.

**) Taschen-Encyclopädie der medizinischen Klinik. Stuttg. 1855.

***) Gazette des Hôpitaux, Août 1836. Nro-100.

rente eiusdem lateris usque ad epididymidem affectio vene-
rea cognoscebatur. Nec Ricord dicere oblitus est: nec
unquam catheterismum institutum in hoc viro, cum adhuc
viveret, nec iniectiones in urethram factas esse.

V i t a.

Natus sum **Carolus Pauli** die tertio mensis Aprilis a. 1823 Hagiopoli, Saxoniae provinciae oppido. Patrem **Carolus** ante quatuor annos iniqua mors mihi rapuit, matrem autem **Agnes** e gente **Hille** incolumem deus benignus adhuc servavit. Confessionem catholicam profiteor. Cum primis litterarum elementis in gymnasio urbis patriae per annos septem imbutus essem, e classe secunda discessi, et, ut medicinae chirurgiaeque studerem, Gottingam me contuli. Ibi per biennium hisce lectionibus interfui:

Ill. **Wöhler** de chemia.

Ill. **Bartling** de botanice.

Ill. **Conradi** de pathologia et therapia generali.

Ill. **Marx** de materia medica et de arte formulas medicas rite concinnandi.

Beat. **Fuchs** de pathologia et therapia speciali,

Beat. **Langenbeck** de universa anatomia, de arte cadavera rite secandi, de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice.

Beat. **Pauli** avunculum de arte fascias applicandi, de akiurgia et de operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Ill. **Herbst** de physiologia.

Praeterea in scholis clinicis chirurgicis Beat. **Langenbeck** et medicis **Fuchs** duces mihi fuerunt.

Deinde Confluentiam migravi, ut in legione tormentaria octava sub auspiciis Ill. **Knipfer** officiiis militaribus satisfacerem. Circiter duobus annis praelapsis studiorum peragendorum causa legioni lanceariae septimae adscriptus sum, cuius domicilium tum Bonnae fuit, qua in urbe Ill. **Kilian** de arte obstetricia disserentem audivi.

A. 1852 Confluentiae absolutis examinibus practicis medico-chirurgicis non multo post medicus auxiliarius nominatus sum.

Tempore autumnali anni 1853 Berolinum petii et Ill. **Busch** praelectionibus obstetriciis practicis usus anni sequentis initio examen obstetricium practicum absolvi.

Praeterea per idem semestre Ill. **Casper** de medicina forensi disserentem audiui. Tum privatim literis eruditus testimonium maturitatis in Gymnasio Coloniensi huius urbis sub duce directoris Ill. **August** florente adeptus sum. Quibus omnibus viris maxime de me meritis quam possum nunc gratias maximas ago neque unquam ad cineres usque eorum memoria e grato animo evanescet.

T h e s e s.



- 1) *Falsa est haec Aristotelis sententia: Nihil est in intellectu, quod non prius fuit in sensu.*
 - 2) *Liebigius mihi vituperandus videtur, qui contendit, neque amylaceas neque pingues neque omnino materias, quae ex carbone et partibus aquae (Kohlenhydrate) constant, esse nutrimenta.*
 - 3) *Quibusdam conditionibus venia data est foetum vivum perforandi.*
 - 4) *Tuberculoseos causam in mixtione sanguinis perversa invenimus.*
-

T h e s i s

- 1) *Esse est hoc Aristotelis sententia. Intellectus
intellectus, quod non potest nisi in sensu.*
- 2) *Esse est hoc Aristotelis sententia. Intellectus
intellectus, quod non potest nisi in sensu.*
- 3) *Quibusdam conditionibus certa data est factus et
tunc performandi.*
- 4) *Tuberculoses causam in mixtura sanguinis per
tunc incunant.*